

impetravit, potest iudex de re illa, num fuerit litigiosa, cognoscere, hocque deprehenso in causa procedere: nam confirmatio illa non valebat, neque aliquid novi juris tribuebat, cap. i. h. t. Similiter litteræ confirmationis super sententia, a qua fuerat appellatum, tacita appellatione impetratæ non valent, neque confirmant sententiam latam, c. Bonæ memoriæ. 3. h. t. Idemque dicendum de similibus.

28. *Innovatio privilegiorum, et aliorum instrumentorum potest fieri, ne vetustate corrumpantur.* — Queritur IV. Quid sentiendum sit de innovatione privilegiorum, aliorumque instrumentorum? Resp. I. Privilegia, et alia instrumenta antiqua possunt renovari, ne nimia vetustate corrumpantur; aut si ex alia rationabili causa timendum sit, ne pereant, sicque fortuitis casibus subtrahatur probandi facultas, et veritas occultetur. Ita habetur decisum c. Cum dilecta. 4. h. t. Idque per extensionem extensivam deducitur ibidem ex legibus civilibus, quibus ob rationes prædictas conceditur, etiam lite non contestata testes valetudinarios, et alios. de quibus ex aliqua ratio-

nabili causa timetur, ad testimonium admittere; ne videlicet ob eorum mortem, aut diuturnam absentiam, probandi facultas subtrahatur, et veritas occultetur.

29. *Ea tamen jus novum non tribuit, sed conservat duntaxat antiquum.* — Resp. II. Nihilominus per innovationem privilegiorum, aut aliorum instrumentorum, jus novum non acquiritur, neque antiquum confirmatur; sed tale jus antiquum duntaxat (si quod erat) conservatur. Ita cit. c. Cum dilecta. 4. h. t. juncto summario, et doctoribus ibid. Unde minus est, innovatio privilegii, quam ejus confirmatio: per hanc enim, etiam in forma duntaxat communi factam, major aliqua firmitas, atque auctoritas confertur actui: non sic per innovationem, utpote quæ nihil juris, aut majoris firmitatis de novo tribuit, sed solum deservit ad faciliorem probationem ejus, quod in privilegio olim concessio continebatur.

30. *Conclusio totius libri.* — Et hæc dicta sufficiant in librum secundum *Decretalium*, cedantque ad Majorem Gloriam Dei, qui est *Benedictus in sæcula. Amen. (ADNOTATIO XXVII.)*

LIBER TERTIUS

DECRETALIMUM

PREFATIO.

Postquam in primo libro *Decretalium*, præmissis quatuor titulis, tum de sanctissima trinitate, utpote fonte atque origine omnis sapientiæ et justitiæ, tum de constitutionibus, rescriptis et consuetudine, veluti generalibus juris principiis, actum fuisset de prælatis et iudicibus ecclesiasticis eorumque institutione et auctoritate: in secundo libro de *Judiciis*, quibus præsent, seu de Processu judiciario, ipsumque concernentibus: subnectuntur tres alii libri, in quibus tractantur materiæ et causæ, quæ in ecclesiasticis judiciis tractari et agitari solent. Hæc autem aut criminales sunt; de quibus agitur in quinto libro *Decretalium*, agendo de vitis, et penis eorum: aut civiles, quarum appellatione comprehenduntur etiam causæ spirituales atque ecclesiasticæ, in quibus non criminaliter, seu ad publicam vindictam ob crimen infligendam; sed civiliter atque ad privatum interesse super re, vel jure aliquo contenditur. Hujusmodi vero causæ vel concernunt personas ecclesiasticas earumque res aut ecclesias: et de his tractat iste tertius liber: aut personas sæculares, seu laicas: uti sunt sponsalia, et matrimonium, eorum statui proprium, de quibus in quarto libro agitur.

Igitur in hoc tertio *Decretalium* libro tractatur de clericis horumque obligationibus et rebus; puta beneficiis, decimis, ac hujusmodi, simul et de ecclesiis, atque pertinentibus ad istas. Et quia clerici in genere, alii sunt sæculares, alii regulares: de clericis sæcularibus incipit præsens liber tractare, et varia, quæ ipsos, nec non et beneficia resque ecclesiasticas eorum curæ commendatas con-

cernunt, per priores 30 titulos resolvit. De clericis autem regularibus a 31 titulo tractare incipit: atque circa finem a titulo 40 et deinceps tractat ea, quæ ecclesiarum consecrationem, sacramentorum administrationem, venerationem sanctorum, jejuniorum observantiam, immunitatem ecclesiarum, et alia hujusmodi concernunt; prout amplius tum in textus juris, tum in progressu patebit. Unde pergendo in nomine Domini, sit.

TITULUS I.

De vita et honestate Clericorum.

1. *Ratio præcedentiæ præsentis tituli.* — Tractaturus Compiler juris canonici in hoc libro *De Clericis*, ante omnia præmittendam censuit rubricam, De vita et honestate Clericorum, utpote quæ potissimum in clericis requiritur; cum hi, veluti lucernæ positæ super candelabrum, toti populo vel maxime vitæ, morumque honestate, prælucere, necesse habeant. Quod ut melius intelligatur, sit:

§ I.

DE NOMINE ET DIGNITATE CLERICORUM.

2. *Clerici, unde sic dicantur?* — Queritur I. Unde clerici sic dicantur; et quæ sit dignitas clericatus? Resp. I. Clerici, juxta Isidorum, relatum in can. 1. dist. 21. sic appellantur a græco κληρικός et Sans latine, seu

hæreditas dicitur. Et « propterea dicti sunt clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. » Hæc ibi. Voluit enim Deus ex toto Populo fideli aliquos sibi specialiter eligere, qui essent sors, seu pars, ac hæreditas ipsius peculiaris, quæ abjectis curis sæcularibus uni DEO prorsus vacaret, ejusque servitio, ac cultui penitus intenderet.

3. *Et qui sint? Duo sunt genera christianorum; et quæ?* — Unde clerici bene describuntur, dicendo: clerici sunt homines christiani, qui a negotiis, curisque sæcularibus remoti, servitio, cultuique divino specialiter sunt deputati. Nam, ut can. *Duo sunt genera*. 12. q. 1. legitur, « Duo sunt genera christianorum. Est autem unus genus, quod mancipatum divino officio, et deditum contemplationi, et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit. — Aliud vero genus est christianorum; ut sunt laici. *Arab;* enim græce, est *populus* latine. His licet temporalia habere, sed non nisi ad usum (id est, non ad abusum, ut explicat Glossa ibidem). Nihil enim miserius est, quam propter nummum, Deum offendere. His concessum est, uxorem ducere, terram colere, inter virum et virum judicare, causas agere, oblationes super altari apponere, decimas reddere: et ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint. » Hæc ibi.

4. *Clericatus est dignitas et honor.* — Resp. II. Clericatus est dignitas, et honor. Textus est in can. *Denique*, dist. 4. ibi. « Sacerdotes, et diaconi, et reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat. » Concordat can. *Admittuntur*, dist. 54. et can. *Reperiuntur*. 1. q. 1. cum similibus: fateturque Imperator in l. *Officiales*. c. *de Episcop. et Cleric.* illis verbis: « Ad clericatus honorem putaverint transeundum. » Id ipsum habetur l. *Atrocem*. c. *de Injuriis*, ibi: « Cum esses in sacerdotio, et dignitatis habitum et ornamenta præferres: » cum similibus. Ratio est: quia clerici specialiter in sortem domini vocantur, divinisque ministeriis per susceptionem sacrorum ordinum deputati existunt: adeo, ut soli in altari ministrare, atque jurisdictionem ecclesiasticam ligandi, et solvendi, a Christo Domino Ecclesiæ suæ concessam, *Matth.* xviii, 18. et *Joan.* xx, 23. exercere valeant. Qua de causa clerici, ad differentiam laicorum, *de sacro Catalogo* esse dicuntur in synodo septima, c. 13. ac refertur can. *Quoniam*. 19. q. 3. Hinc ulterius.

5. *Clerici specialibus merito supra laicos privilegiis, et prærogativis honorantur.* — Resp. III. Clerici omnes, ac personæ ecclesiasticæ, utpote divinis obsequiis specialiter mancipati, et in dominicis castris super alios positi, specialibus merito supra laicos privilegiis, ac prærogativis honorantur. Patet istud non solum ex sacris paginis utriusque Testamenti, verum etiam ex utroque jure, varia idcirco privilegia, et prærogativas clericis impertiente: ut l. *Omnis a Clericis*. et seqq. c. *de Episcop. et Cleric.* et can. *Generaliter*. 16. q. 1. cum innumeris concordantiis. Quia enim clerici præ laicis in sortem Domini vocantur, et potestatem celebrandi officia divina ministrandi in alteri, per receptionem sacrorum ordinum divinitus acceperunt, *Matth.* xviii, 18. et *Joan.* xx, 23. quis neget, eos præ laicis esse reverendos? Cum etiam gentiles, quantumvis veræ fidei lumine destituti, hoc ipsum sacerdotibus suis esse præstandum censuerint, ut *Genes.* xlvii, 22. et can. *Sacerdotibus*. 11. q. 1. et c. *Non minus; de Immunit. Eccles.* et alibi.

6. *Clerici, ac præsertim sacerdotes, sunt patres et magistri populi. Imo et ipsorum regum ac principum. Constantini Magni notabile dictum pro sacerdotibus et monachis.* — Accedit, quod clerici, ac præsertim sacerdotes, dicantur, et sint patres, et magistri populi, can. *Sacerdotes*. 6. q. 1. et can. *Nolite*, dist. 21. Imo et ipsorum regum, ac principum, can. *Quis dubitet*, dist. 96. Ubi Gregorius VII. ita cuiquam rescripsisse legitur: « Quis dubitet, sacerdotes Christi, regum, et principum, omniumque fidelium patres et magistros censerit: » Concordat textus in can. *in Scripturis*. eod. dist. 96, ubi idcirco Constantinus Magnus imperator dixisse refertur: « Vere, si propriis oculis vidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monastico habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamydem meam expoliarem, et cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. » Hæc imperator.

7. *Clericorum dignitati, nulla sæcularis est similis. Sacerdotes in sacra Scriptura aliquando dicitur, aliquando angeli vocantur.* — Quinimo ratione suæ potestatis divinitus acceptæ, ea est clericorum, ac præsertim sacerdotum dignitas, atque præstantia, ut nulla sæcularis ei similis existat, can. *Duo sunt quippe*, dist. 96. Ubi sacra auctoritas pontificum, regali potestati comparata, longius hanc excedere legitur, quam si plumbi metallum ad

auri fulgorem comparetur. Quinimo in ipsis « sacris Eloquiis sacerdotes aliquando dicitur, aliquando angeli vocantur, » prout habetur, ac pluribus ostenditur can. *Sacerdotibus*, 11. q. 1. et can. 1. dist. 17.

8. *Et in quo sensu appellantur dicitur.* — Porro sacerdotes appellantur *Dii* participative solum, seu quatenus participant aliquid Divinitatis per excellentiam virtutis, atque potestatis sibi a Deo communicatæ. In quo sensu *Exod.* vii, 1. dictum fuit Moysi: *Ego constitui te Deum Pharaonis*. Concordant dicta superius lib. I. tit. I. *de Summa Trinitate*. § 5, n. 84.

9. *Populus debet esse divisus a clero, quando celebrantur divina mysteria.* — Unde, quod populus debeat esse divisus a clero, quando celebrantur divina mysteria, neque tempore Missæ celebrandæ laicis permissum sit, in loco clericorum (quod *Presbyterium* nuncupatur) consistere: textus est in can. *Sacerdotum. de Consecrat.*, dist. 2, et cap. 1, h. t. Adeo, ut sanctus Ambrosius episcopus Theodosium imperatorem, intra cancellos altaris communicare volentem, inde excluderet, dicens: « Purpuram imperatores, non sacerdotes efficere. » Nicephorus lib. XII, *Histor. Ecclesiast.* cap. xli. et alii. (ADNOTATIO XXVIII.)

10. *Clericorum nomen bifariam accipitur et quomodo?* — Quæritur II. Quot modis *Clericorum* nomen accipiat; quique eo comprehendantur? Resp. I. *Clericorum* nomen bifariam accipitur, large videlicet, seu generaliter; et stricte, seu specialiter, magisque proprie. Ita Barbosa, lib. I. *Jur. Ecclesiast. univers.* cap. xxxix. n. 1. et seqq. et communis; idque patet declarando terminos. Et quidem large, seu generaliter loquendo *Clericorum* nomine veniunt omnes omnino personæ quæ in sortem Domini vocatæ, atque divinis officiis obeundis, verique Dei cultui ac servitio specialiter sunt deputatæ; sive dein talis deputatio fiat per susceptionem sacrorum ordinum, sive per professionem religiosam, arg. can. *Si quis suadente*. 17. q. 4. ibi: « In clericum, vel monachum, violentas manus injecerit. » Atque in hoc sensu etiam moniales, et religiosi conversi (quos alii appellant *Fratres Laicos*) clericorum nomine intelliguntur. Posteriori modo, seu magis specialiter, et proprie loquendo, clerici sunt, atque dicuntur illi soli, qui ordine aliquo ecclesiastico, vel saltem prima tonsura sunt initiati; sique specialiter divinis minis-

teriis deputati, arg. can. *Cleros*, dist. 27.

11. *In materia favorabili nomen clericorum sumitur generaliter; ac prout comprehendit etiam prima tonsura initiatos et episcopos.* — Resp. II. In materia favorabili nomen *Clericorum* sumitur generaliter, ac prout comprehendit non solum prima tonsura, aut ordinibus sacris initiatos; sed etiam monachos, et regulares, imo et moniales cujuscunque religionis ab Ecclesia approbatæ. Ita Abbas cap. 1. n. 9. *de Jurament. calum.*; card. Tuschus litt. C. concl. 377. n. 2. et seqq. Barbosa lib. I. *Jur. Ecclesiast. univ.*, cap. xxxix, n. 2. ac seqq. et communis aliorum. Prior pars liquet ex can. *Cleros* dist. 21. et c. *Cum contingat*. 11. *de Ætate et qualitat. præficiend.* Ubi non solum in sacris ordinibus existentes, sed etiam prima tonsura initiati, *Clericum* appellatione veniunt. Quia igitur favores sunt ampliandi, non est, ut quis eorum a tali favore excludatur, sive simplex clericus, sive curatus, aut canonicus, vel episcopus; ut can. *Si quis suadente*. 17. q. 4. cum similibus. Dummodo materia subjecta eisdem singulis sit adaptabilis, neque aliunde de contraria dispositione, seu alia mente legislatoris pateat.

12. *Imo et monachos, atque moniales.* — Altera pars, asserens, in materia favorabili nomine *Clericum* venire monachos, imo et moniales: desumitur ex cit. can. *Si quis suadente*, 17. q. 4. Ubi clerici, et monachi, in materia favorabili, totumque statum ecclesiasticum respiciente, æquiparantur. Et cum ibidem expressa mentio de monialibus facta non fuisset, nihilominus canonem illum etiam in monialibus procedere, postea declaratum fuit c. *de Monialibus*. 33. *de Sentent. excommunic.* et consequenter in materia favorabili, suoque statui adaptabili, etiam moniales nomine *Clericorum* veniunt. Id ipsum desumitur ex cap. 1. *de Jurament. calumni.* ubi prior constitutio, qua cavebatur, ut « nullus clericus jurare præsumat » (præstando videlicet juramentum calumniæ sine licentia superioris) per superiorem constitutionem, quæ est interpretativa, seu declarativa prioris, intelligitur etiam de abbatibus, monachis et sanctimonialibus: et consequenter hæ personæ veniunt nomine *Clericum* in materia favorabili, sibi adaptabili. Accedit ratio, desumpta ex nominis etymologia: quia clericus dicitur a *Cleros*, quod est *sors*; seu, quia clerici sunt in sortem Domini electi, can. *Duo sunt genera*, 12. q. 1. Atqui etiam